



guntie representarent, nunquam egressuri ex ea, donec Arnoldus abrenunciauerit bonis illis, et sepe dicta ecclesia ab impetitione ipsius penitus absolueretur.

His igitur exemplis clare patet non modo in contractu debiti, sed etiam in multis aliis contractus generibus adiectum esse pactum obstagiale. Quae cum ita sint, facile intelligi potest, nonnihil corrigendam esse definitionem, hoc modo fere:

Obstadium est pactum adiectum quo alter vel uterque contrahentium vel eorum fideiussores, aut soli aut simul cum contrahentibus promittunt, se, non impleto contractu, et commitione accepta: vel solos, vel cum comitatu tot equorum et hominum, quot in tabula expressi, in locum assignatum vel assignandum esse venturos, nec inde discessuros, antequam alteri satisfactum sit.

§. II.

De origine iuris Obstadium quanquam nihil certi a Viris eruditis prolatum est, neque vnquam videtur proferri posse, tamen opinionum varietatem silentio praeterire non possum. Alii auctorem Bertholdum Zaringiae Ducem laudant, nixi testimonio GELLENII in *vita S. Engelb.* l. 1. c. 103. vt BESODVS in *Thef. Pract. v. Leistung.* Alii originem quaerunt in turbulentis Imperii German. temporibus, quae saeculis XI. XII. et XIII. fuerunt. Sed vetustior est origo, cum vestigia iam inueniantur in *L. Sal. cap. 8.* qui locus a POTGIESERO c. III. §. 11. p. 303. et post eum a GRVPENIO p. 77. et GERKENIO p. 64. memoratus, neque adeo hic adponendus est. Causam tamen frequentioris vsus pactorum obstagialium POTGIESER l. c. reperisse sibi videtur in turbulentis temporibus praesertim imperante Friderico II. quibus temporibus dicit siluisse omnes leges, neque quenquam ius suum alio pacto quam obstagiali potuisse obtinere. Sed si hoc verum est, nec obstadium pactum satis valisset ad ius consequendum. Verisimilior igitur GERKENII l. c. p. 65. est opinio existimantis, obstadia frequentari coepisse odio iuris Romani, quum id in fora Germaniae introduceretur. Maiores enim nostri, qui iuris Romani subtilitatem nullo modo ferre potuerunt, omnia fecerunt, vt illud a foro prohiberent. Subtilitates
autem